

imperio fit et longe hactenus facta est a sede Romana et summis pontificibus, qui ipsum imperium opprimere, delere et destruere volunt cum suis statutis processibus et sentenciis. Ipsos quoque informavimus per sacram scripturam, quod processus et sentencie, quos et quas papa Iohannes contra nos dedit, nullam virtutem tenent et nec nos neque aliquem de nostris de iure tangunt. Unde mandavimus, quod omnes clerici in nostro regno constituti celebrent et publice divina officia prosequantur, et quod omnes tam clerici quam seculares divina officia accedere et ipsis assistere cum bona conscientia debeant et hoc non vitare propter processus et sentencias prelibatas^a. Et quicumque in hoc nostro mandato non obedirent, illorum corpora et res a pace exclusimus et in proscriptionem denunciavimus, omnibus licentiam super eorum corpora et res libere concedendo, sic ut quocumque modo graventur, propter hoc nemo iniuriatur nec ad emendam aliquam obligatur. Quare tibi mandamus sub obtentu gracie nostre, quatenus mandatum nostrum prescriptum publice facias propalari in civitatibus et districtibus tibi subiectis et quod palam moneas omnes clericos, viros et mulieres, seculares et religiosos, cuiuscumque ordinis seu status fuerint, ut ipsi clerici et religiosi homines, viri et mulieres, divina officia teneant et celebrent, et ut layci, mulieres et viri, hiis assistant^b, ac si nulli processus seu sentencie contra nos emanarint, et etiam hoc non dimittant occasione eorundem processuum iam datorum vel qui in posterum dabuntur, cum illi de iure nullum contineant vigorem. Et quicumque insuper premissa facere non vellent vel qui divina officia celebrare^c recusantes defendere vel in suis domibus colligere presumarent et eos^d qui divina officia accedere recusarent, illorum corpora et res tibi attrahas^e et assumes tamquam hostium imperii, de tua quoque potestate non dimittas, quousque deliberemus consulte, quid de ipsis et quomodo faciamus. Conserva etiam in hoc nostrum mandatum adeo firmiter, ne te propter hoc specialiter redarguere et corrigere debeamus.

Datum in Frankenfurt, feria quarta post Laurentii, regni nostri anno vicesimo quarto, imperii vero undecimo.

Facta est hec copia sub sigillo curie Constantin(ciensis).

Mit Siegelschnitten.

a) 'lib' auf Rasur. b) 'asistant' Or. c) 'b' auf Rasur. d) 'eos' über der Zeile nachgetragen. e) 'atrahass' Or,